Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35272
Copyright: Innsbruck, Prämonstratenser-Chorherrenstift Wilten

te ciuitatis samuel dixit ad
saul dic puero ut antecedat
nos et transeat: tu autem subsis
te paulisper ut indicem tibi verbum
domini Capitulum x
Tulit autem samuel lenticulam
olei et effudit super caput
eius et deosculatus eum ait Ecce
unxit te dominus super hereditatem suam
in principem et tu liberabis po
pulum eius de manibus inimicorum
eius qui in circuitu sunt Et hoc
tibi signum quia unxit te deus in
principem Cum abieris a me
hodie inuenies duos uiros iux
ta sepulchrum rachel in finibus be
niamin in meridie salientes
magnas foueas dicentque tibi
Inuente sunt asine ad quas ieras
perquirendas et intermissis pa-
tris tuus asinis sollicitus est pro uobis et
dicit Quid faciam de filio meo Cum-
que abieris inde et ultra transieris
et ueneris ad quercum thabor inue-
nient te ibi tres uiri ascendentes
ad deum in bethel unus portans tres
edos et alius tres tortas panis
et alius portans lagenam uini
Cumque te salutauerint dabunt tibi
duos panes et accipies de manu
eorum Post hec uenies in collem domini
ubi est statio philistinorum Et cum in
gressus ibi fueris urbem obuium
habebis gregem prophetarum descendentium
de excelso et ante eos psalterium
et tympanum et tibiam et citharam
ipsosque prophetantes Et insiliet in te
spiritus domini et prophetabis cum eis Et
mutaberis in uirum alium Quando
ergo euenerint hec omnia signa tibi
fac quecumque inuenerit manus
tua quia dominus tecum est et descen-
des ante me in galgala Ego
quippe descendam ad te ut offe-
ras oblationem et immoles uic-

timas pacificas Septem diebus
expectabis donec ueniam ad te
et ostendam tibi quid facias Itaque a-
uertisset humerum suum ut abiret
a samuele immutauit ei deus
cor aliud: et uenerunt omnia sig-
na hec in die illa Veneruntque ad
predictum collem et ecce cuneus
prophetarum obuius ei Et insiluit super
eum spiritus domini et prophetauit in me-
dio eorum Videntes autem omnes qui
nouerant eum heri et nudius
tercius quod esset cum prophetis et prophetas-
set: dixerunt ad inuicem Que nam
res accidit filio cis Num et saul
inter prophetas Respondit que alius
ad alterum dicens Et quis pater eius
Propterea uersum est in prouerbium: num
et saul inter prophetas Cessauit
autem prophetare: et uenit ad excel-
sum Dixitque patruus saul ad eum
et ad puerum eius Quo abistis: Qui
responderunt Querere asinas quas
cum non reperissemus uenimus ad
samuelem Et dixit ei patruus
suus Indica mihi quid dixerit tibi
samuel Et ait saul Indicauit
nobis quia inuente sunt asine De
sermone autem regni non indicauit
ei quem locutus ei fuerat samu-
el Et conuocauit samuel populum ad
dominum in maspha et ait ad filios
isrl Hec dicit dominus deus isrl Ego
eduxi isrl de egipto et erui uos
de manu egiptiorum et de manu omnium
regum qui affligebant uos: uos
autem hodie proiecistis dominum deum
uestrum: qui solus saluauit uos
de omnibus malis et tribulationi-
bus uestris Et dixistis Nequaquam:
sed regem constitue super nos Nunc
ergo state coram domino per tribus uestras
et per familias Et applicuit sa-
muel omnes tribus isrl et cecidit
sors in tribum beniamin Et